



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 77. S. R. Imperii Electores a Moguntino ad novi Imperatoris electionem
Francofordiam convocati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sec. XVII. *Apostolici Nuntii auctoritate solveretur.*
A. C. 1619. qualis vero Ecclesiae disciplina tradit,
 quempiam vibrati in eum anathematis
 usque ad mortem suam inscium ab hac
 censura solvendum fuisse?

Ceterum defuncti Cæsaris corpus
 die vigesima quinta Martii ad Virginum
 Regiarum cænobium deferebatur, ex-
 equiis solemnibus ritu vigesima quarta Apri-
 lis die celebratis, paulo ante vero Pa-
 risiis defuncto Cæsari die decima octa-
 va ejusdem Mensis a Rege parenta-
 tum est.

§. LXXVII.

*S. R. Imperii Electores a Moguntino
 ad novi Imperatoris electionem
 Francofordiam convocati.*

Hist. d' Alle-
mag. Barre
Merc. Gal-
lob. t. 12. l. 4.
Khevenhill.
t. 9. p. 67.

Justis defuncto Cæsari magnificentia
 ac pompa vere Regia persolutis, Pa-
 latinus & Saxoniae Electores vicariam
 Imperii administrationem susceperunt:
 Schwicardus vero Moguntinus Elector
 pro muneris sui ratione ceteros S. R.
 Imperii Electores Francofordiam ad
 novi Imperatoris electionem die vigesi-
 ma Julii suscipiendam evocabat, re-
 clamante Friderico Palatino, qui res
 suas, si ad comitia veniret, in discrimen
 adduci caussatus Moguntinum per suum
 Legatum Heidelbergam ad privatum
 collo-

colloquium invitabat, quo etiam Mo-
guntinus venerat, prius tamen cum
Electoibus Saxonis contulit, quid
Palatino, Saxone & Brandeburgico com-
parere recusantibus, agendum esset?
Interim vero Egeranæ compositionis
negotio per Cæsaris mortem interciso,
Ferdinandus Bohemiæ & Hungariæ
Rex, cui Albertus Archidux Austriæ
possessionem, Regimenque cesserat, mox
illud adiit, omnesque harum ditionum
populos in sacramentum suum adigere
intentus fuit, reclamantibus Austriæ
Ordinibus, qui petito deliberandi spatio
prius militem inde abduci, suisque que-
relis remedium adhiberi postulabant.
Insuperhabita horum repugnantia idem
Ferdinandus datis ad Bohemos Cæsa-
ris defuncti Ministros literis significa-
bat, quod illos in commissa ipsis a Cæ-
sare defuncto vicaria Regni administra-
tione confirmaret, simulque turbis om-
nibus per privilegiorum confirmatio-
nem, finem imponere decrevisset, de
cetero autem speraret, quod Bohemi
Ordines, postquam eis omnia indulisset,
vicissim sibi obsequium omne præstituri
essent. Ne vero eum duntaxat in pro-
missis hæerere, pro more suo caussaren-
tur, re ipsa ad supremum Regni Bur-
gravium per Adamum Walsteinium Re-
gium diploma transmissit, quo universo

Sæc. XVII.

A. C. 1619.

Sæc. XVII. Bohemiæ Regno sua jura, immunitates, statuta, literas Majestatis, tam A.C. 1619. in Religione, quam in aliis politicis concessa privilegia, fœdera inter Ordines *sub una & utraque* annis prioribus inita, modo tamen illa ad evertendam fidem Catholicam non tenderent, & aliunde æquis, antiquisque consuetudinibus consona essent, rata habebat. Præterea fidem dabat Ferdinandus, quod arcem Caroloftadianam conservare, ac nonnisi indigenas Bohemos ad Regni ministeria adhibere, nec monetam Bohemicam diminuere, & denique omnia promissa exacta servare velit.

§. LXXVIII.

Bohemi Protestantes Ferdinandi Regis clementia ferociores effecti.

*Priorat.
Hist. di
Ferd. III.
part. I. l. I.
Pufendorff.
l. I. sect. 25.*

Quoniam vero Bohemi Protestantes in sua seditione persistere, atque repudiato Ferdinando alium suæ factionis Regem intrudere decrevissent, factam privilegiorum confirmationem non acceptarunt, caussantes quod Ferdinandus perperam se *Bohemice hæredem* nominasset, suasque literas inscripisset ad eos Regis Bohemorum Administratos, quos ipsimet suis officiis dejectos in ordinem redegerunt, quocirca Ferdinandum

*Carafa
Germ. 1*